

* I * H * V * S *



~~G. # 13.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-23.

SIGNAT. clvcccxiii.

Einzelner versetzt 1941.

Stückzahl erled.

ELECTORALIUM
Saxon. Alumnorum

GYMNASMA PRIMUM,
De

PECCATO IN
GENERE,
Altissimo annuente,

Sub moderamine

BALTH. MEISNERI

S. S. Th. D. & P. P.

Elect. Alumn. INSPECTORIS,

In inclyta Wittebergensi Academia

Propositum,

à

M. MICHAELE REICHARDO

Wittebergensi Saxone,

Respondente

EUSEBIO SIMONE Dresdensi.

*Habebitur disputatio d. 14. Novemb. horâ 1. pomerid. in
auditorio Alumnorum Electoralium.*

§(:)§ §(:)§

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M. DC. XIIX.

ELECTORALIMM

GYMNASIA PRIMUM

RECITATION

GENERE

Alteimo annuente

Sub mect...

BALTH. MERTNER

as th d r t

In macta Viltibengst...

Propolium

M. MICHAEL ERICHARD

Winckgen...

USERTO SIMON...



DISPUTATIO I.
De
PECCATO IN GENERE.
PRÆLOQUIUM.



Apientissimum illud Chilonis *ἡσυχία* *σπαιρον*, ut in omni vitæ genere nobis commendatissimum esse debet, ita ab ægrotis & morbolis tantò sollicitius & attentius, quantò majore eum periculo morbus est conjunctus observandam est. Quamdiu enim morbi gravitas latet, tamdiu nullus remedij inveniendi aditus patet; quamdiu morbum æger non agnoscit, tamdiu Medici opem non postulat. Morbus verò omnium atrocissimus, periculosissimus *Peccatum*, quod non solum reliquarum infirmitatum agmen secum ducit, sed & inseparabilem comitem habet Mortem, siquidem & Paulus ad Rom. 6. vers. 23. ait, *Stipendium Peccati Mors*. Hic igitur morbus utat sit nocuus, ejus tamen cognitio summè est proficua. Vidit hoc ethnicus Seneca Epist. 28. scribens; *Initium est salutis, notitia peccati. Deprehendas te oportet, antequam emendes*. Qua sententia etiam Beruhardus usus, & aliâ huic consimili, ubi ait: *Erit fortasse apud DEVM pius judicem ipsa cognitio culpe impetratio veniæ*. Cognitio enim peccati suppeditat materiam, humilitatis & poenitentia, & desiderium Medici quaerendi. Hinc egregiè dixisse fertur Epicurus minimè Epicurus: *Qui peccare se nescit, corrigi non vult*. Contra quò ardentius ægroti suspirantis desiderium, eò paratius medici miserantis auxilium. Nec solum utilis est Peccati agnitio, verum & difficilis; quodq; B. Augustinus de Tempore ait: *In tempore vivimus & quid sit tempus ignoramus: id non incommodè de Peccato dici potest. In peccato omnes vivimus,*



quid autem peccatum sit ignoramus. Cum quo consentit illud ejusdem Augustini: Nihil notius quam Peccatum, ad intelligendum verò nihil secretius. Quod cum ita se habeat, non abs re facturos nos putamus, si doctrinam de Peccato ad normam verbi divini explicaverimus, discutiendamq; proposuerimus. Ut autem ordine & decenter hoc fiat, rem totam quinq; disputationibus inclusurum sumus, quarum prima erit de Peccato in genere, secunda de Lapsu Ade, tertia de Peccato Originali, quarta de Peccatis Actualibus: & demum 5. de Peccato in Spiritum sanctum. Porro quod Generalem peccati considerationem attinet, tribus capitibus illa absolvetur, in quorum 1. dicetur ei *εἴτιν* An sit Peccatum. 2. τί *ἔστιν*, Quid sit Peccatum. 3. πῶθεν *ἔστιν* unde sit Peccatum, vel quæ sit Peccati causa. DEUster optimus maximus Spiritus sancti auxilio nobis assistat, ut monstrisam hanc bestiam piè agnoscamus, agnitam studiosè caveamus, veràq; fide domitorem ipsius apprehendamus JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, Amen.

CAPIT. I.

An sit Peccatum.

THESIS I.

DAri Peccatum in Naturâ & in humano genere tam manifestum est, ut non solum Ecclesia credat, verum etiam à Philosophis communi sensu percipiatur, multisq; querimoniis deploretur. Hinc Basiliius: *Quemadmodum umbræ corpora, sic peccata sequuntur animas.* Et Thucydides lib. 3. *Naturâ omnes privatim & publicè proni sumus ad delinquendum, nec lex aut pœna ulla homines prorsus coërcet.*

I I. Si quis tamen tam vesanus sit, ut Peccatum vel omnino negare, merumq; figmentum putare; vel in se Peccatum esse diffiteri ausit, eum his rationibus convincimus.

III. I. Ab asseveratione divinâ sic argumentantes. Quodcumq; DEUS asseverat, illud est firmiter credendum. DEUS verò asseverat in mundo adeoq; omnibus hominibus dari peccatum. E. Firmiter credendum. Major firma est, quis enim non credat ipsi veritati? Quis sapientiæ divinæ, quæ corda scrutatur & renes Psal. 7. v. 10. fidem non adhibeat? Minor ex locis scripturæ infinitis.

nitis probari potest, nobis sufficiant hæc dicta. Gen. 8, 21. *Cogitatio cordis hominis mala est à pueritiâ suâ* Psal. 14. & 53, v. 3. *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum.* Firma ergo stat conclusio: Peccatum dari in natura, imò omnibus hominibus revera inesse.

IV. 2. *A sanctione legis.* Si lex ideò sancita ut per illud peccata agnoscantur, utiq; peccata dari necesse est. Sed verum prius. E. & posterius. Major manifesta est, nihil enim cognosci potest, nisi prius sit. *Non Entis enim nulla cognitio.* Minorem probat principale legis officium, quod est peccata in specie patefacere, quemadmodum expressè Paulus affirmat. Rom. 3, 20. *Per legem cognitio Peccati.* Et Rom. 7, 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem.*

V. 3. *A malâ conscientia.* Dato effectu datur causa, sed mala conscientia in homine datur. E. etiam causa ejus, quæ extra Peccatum nulla. Manifestum hoc in omnibus facinorosis, qui post perpetratum scelus agnoscunt se deliquisse, poenasq; promeruisse, unde timor in ijs oritur. Hinc Paulus Rom. 2, 14. ait. *cogitationes eorum sese mutuo accusare vel etiam excusare.* Manifestum hoc in infantibus qui crimine commisso, nil non faciunt, quo regantur.

VI. 4. *A malo pœnæ.* Ubi datur Malum pœnæ, ibi malum culpæ. Ratio connexionis est. Quia pœna dici non potest nisi relativè, pœna scilicet alicujus culpæ. Hinc omnis pœna culpam præsupponit, nec Christus passus nisi pro culpis, nostris scilicet, non suis: Jam mala pœnæ quis inficiabitur? quis neget omnes homines summis miseriis, morbis & tandem morti æquè expositos & obnoxios? nisi simul rideat illud Pauli Rom. 5, 12. *Mors manavit ad omnes, eò quod omnes peccaverunt,* & Rom. 6, 23. *Stipendium peccati mors est.* Sequitur ergò nos ἀναμαρτήτους esse non posse, manetq; conclusio. Peccatum est in Natura & præsertim in homine.

VII. Huic nostræ assertioni duo sese opponunt manipuli. Alter eorum, qui Peccatum pro merâ fabulâ habent, purumque putum non Ens esse affirmant: alter qui Peccatum in se esse negant, seq; adeò ex numero Peccatorum eximere satagunt.

IX. Priores suam sententiam obtinere volunt hoc Syllogismo. *Quodcunq; à D E O creatum non est, Ens nullo modo esse potest. Sed*



Malum & per consequens Peccatum à DEO creatum non est. E. Ens nullo modo esse potest, & per consequens Nihil est. Majorem probant quod nihil essentiam habere possit nisi à Deo, qui solus est Ens independens, à quo & per quem omnia sunt quod sunt. Minorem per se stare dicunt, sed ex superabundanti sic posse probari, Gen. i. v. 30. *Vidit DEVS omnia quæ fecerat & erant valde bona.* Et ex illo Pauli i. Tim. 4, 4. *Omnis creatura DEI bona.*

IX. Verum respondemus: i. Peccatum *seorsim in se & sua natura* consideratum Ens strictè positivum non est: At *conjunctim in Re* sive subjecto suo, quod vel Natura vel actio, Entis nomen participare potest.

X. Deinde non sequitur Peccatum non est Ens Positivum & Reale quod revera per materiam & formam in naturâ *Ἰερικῶς* existit. E. planè Ens non est. Datur enim præter illud Ens Rationis quo non solum notiones secundæ continentur, sed & Relationes & Privationes, quæ materiam & formam realem extra intellectum non habent. Peccatum igitur Ens est non quatenus in natura extra mentem existit, sed quatenus in mente veritatis compositionem efficit: non ut *Ἰερικῶς* existit, sed ut *σερητικῶς*, quia ex remotione originalis justitiæ revera & immediatè & sequitur & est, non quidem ut *habitus Physicus* nec ut *pura Negatio*, sed ut medium quoddam inter Ens Positivum & Negativum seu *Privatio*.

XI. Ubi tamen intellectam volumus non *Meram & simplicem privationem*, sed *Privationem habitualem*, quæ conjuncta est cum *contrariâ formâ*.

XII. Tandem distinguunt quidam inter *Ens creatum seu Factum & Introductum*. Peccatum igitur licet prius non sit, tamen est posterius, Hinc Patres Græci dixerunt: τὸ κακὸν neq; est ἄρνητον neq; ἀρνητον, sed *Ἰηγινουδρον*.

XIII. Alter ordo planè fanaticus sive Anabaptistarum sive Enthusiastarum, sive Libertinorum nomine veniat, hoc seculo non paucos applausores habet: qui licet Peccatum non planè negent, tamen in sese Peccatum agnoscere nolunt. Hinc *Puritani, Spirituales* vocari, soli que *Christi DEI* haberi volunt, & nescio quam regenerationem veterisque Adam; mortificationem, quæ

NON

non per baptismum aquæ & Verbum, sed per Spiritum fiat, in
membris seu carne sua fingunt, furori suo illud Pauli præten-
dentes I Cor. 3. 16. *An nescitis quod templam DEI estis, & Spiritus DEI
habitat in vobis.* Et hoc Johannis Apostoli 1. Epist. 3, 9. *Omnis qui
natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, &
non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

XIV. Sed respondemus: Verissimum quidem est, Sapientiam
divinam non ingredi animam nec habitare in corpore peccatis subdito, ut lo-
quitur liber Sap. 1, 4. Sed & hoc vicissim verum, in nobis non-
tantum vigere legem Christi, sed & aliam legem in membris
nostris conspicuam: quâ de re Paulus Rom. 7. v. 22, 23. conquiritur:
*Delector, inquit, lege Dei, quoad interiora hominem; video autem
aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum red-
dentem me legi peccati, quæ est in membris meis.*

XV. Deinde Christus quidem in pijs & regeneratis habitat
1. *Generaliter*, quâ ratione omnibus creaturis Enter præsentem ad-
est; 2. *Specialiter & Gratiôsè*, quatenus regeneratis gratiâ suâ adsi-
stet, novasque qualitates infundit, ut peccato resistere, carnem-
que frenare possint. Non tamen sequitur peccatis actualibus &
crassis carent. E. omni planè peccato carent. Adest enim in ipsis
adhuc *Peccatum Originale*, cujus licet reatus per baptismum & im-
putatam Christi justitiam sublatus sit, radix tamen sive corru-
ptio naturæ non nisi per mortem tollitur. Hinc Augustinus:
*Peccatum Originis remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur, transire
reatu, manet actu, ideo & mors ipsa manet.* Adest præterea *Concupiscen-
tia Mala*, quæ ipsa etiam Peccatum gravissimum est, quippe lege
Dei prohibitum Rom. 7. 7.

XVI. Tandem licet omnes renati Christum induant & in
ipso ambulent, atq; ad eò non faciant peccatum, ut itidem Johan-
nes loquitur 1. Ep 3 v. 3 9. hoc est non indulgeant & ex destinata
malitia operâ deat peccato; tamen *habent peccatum* in hac imbe-
cillitate h. e. ita sunt, dispositi ut facillimè cadant. Id quod ex-
empla omnia sanctorum manifestò & ad oculum demonstrant.
Hinc divinum illud aquilæ in nubibus volantis: *Si dixerimus, quod
peccatū non habemus, nos ipsi seducimus & veritas non est in nobis.* 1. Joh. 1, 8.

XVII. Sed solent unum adhuc effugium quærere: Lapsus
sanctorum in se & sua natura esse quidem peccata, sed in persona
renata



renata peccata nullo modo vocanda esse. Hinc ille pronuncia-
re ausus: se, si matrem propriam quoq; stupraret, tamen nihil fa-
cere contra legem Dei: Cui an impio an stolido effato silentio
& risu, imò pià indignatione respondendum putamus.

CAPUT II.

Quid sit Peccatum.

THESIS.

I. Ορισμὸς ἑστίας γνωρισμὸς ait Aristoteles lib.2. Analyt. post.
c. 3. §. 7. In qualibet autem Definitione duo attendenda *Definitum*
& *ipla Definitio*. Definiti rursus ἐτυμολογία, συνωνυμία & ὁμο-
νυμία observanda.

II. *Definitum* igitur quod attinet: Dicitur *Peccatum* à *Peccan-*
do. Peccare autem nihil aliud, finitore Cicerone 3. Paradoxo
quam *transilire lineas, intra quas continere te debebas*. Hinc non ineptè
quidam statuunt: *Peccare idem esse quod pecudum in morem extra*
ordinem vagari.

III. Atq; hoc sensu Latinis dicitur etiam *Prevaricatio, Trans-*
gressio, alias *vitium & malitia*, qualitatatum videlicet animi: *Delictum*
quod bonum relinquat. *Error* pro levioere errato; *Flagitium, Facinus,*
scelus pro notorio crasso ac enormi crimine. *Crimen & Culpa* qua-
tenus reatum secum trahit.

IV. Græcis ἀμαρτία dicitur vel ἀμάρτημα ἀπὸ τῆς ἀμαρτάνειν
quod ἀπὸ σκοπέου ἢ ἀγαθῆς ἀποτυγχάνειν Svide. A bono sive à
scopo aberrare, quo sensu etiam ὁδύβασις indigitatur. 1. Cor.
6, 7. dicitur ἡττήμα. *Impotentia Defectus*, quod animus ijs superetur.
ὁδύπτωμα *Lapsus Casus*, quatenus ab eo resurgitur. κακία *πονη-*
ρία propter vitiosum habitum & enormitatem: ἀσέβεια quæ re-
fertur ad primam tabulam immediatè contra Deum peccans.
ἀδικία ad secundam tabulam referenda, proximumq; lædens.
πλημμέλεια & ὀφείλημα ab effectu & insequenti reatu quo
Deo obstringitur.

V. Hebræ s quoq; multa sunt vocabula: duo tamen præci-
pua. 1. **נוֹן** Aberratio videlicet à lege divina, hinc ἀνομία ver-
titur Psal. 51. v. 3, 4, 5, 7. & 11. 2. **יִצְרָח** Non tantum error, sed & perversa
contra legem Dei actio.

VI. Deinde vocabulum peccati est ex numero τῶν πολλαχῶς λεγόμενων. Nonnunquam strictè sumitur pro actione contra rectam rationem pugnante, quo sensu Politici & Iureconfulti utuntur. Hinc vulgatum illud, cogitationes sunt exleges. Philosophi amplius procedunt, peccatisq; internos animi affectus vitiosos annumerant. Latissimè accipiunt Theologi peccati nomine venire statuentes non solum actiones & habitus malos, sed & inclinationes & defectus, sive sint connati sive acquisiti.

VII. Porro peccatum sumitur pro homine peccante ut 2. Cor. 5. 21. Eum qui non novit peccatum pro nobis peccatum fecit h. e. peccatorem, non in se, sed ex omnium peccatorum nostrorum reatu ipsi imputato. Quam interpretationem poscere videtur addita ἀντίθεσις, ut nos efficiamur justitia coram DEO, i. e. Iusti, justitia videlicet non nobis inherente, sed in Christo per fidem imputatâ. Licet & hic non incongruè dici possit, vocabulum peccati hic idem esse, quod victima seu sacrificium pro peccato, quomodo usurpatur Exod. 29. 36. Peccato asperges altare i. e. sanguine sacrificij: & Hof. 4. 8. Peccata populi mei comedent.

VIII. Notat præterea Peccatum solum reatum, quomodo Judas Patriarcha Patrem senem Israëllem alloquitur Gen. 43. 9. Tibi peccabo omnibus diebus: i. e. pœnæ obnoxius ero tibi. Addit Flacius in clave & hanc significationem, quod nonnunquam Paulo ἡ ἀμαρτία κατ' ἐξοχὴν notet Peccatum Originale, cum videlicet illud sit caussa & radix omnium peccatorum in homine. Hæc de Definito.

IX. Definitionem igitur ipsam quod attinet, exacta ea dari non potest, tum quia Peccatum vocabulum concretum est, cujus abstractum non extat, tum quia Privatio est. Descriptionem verò nobis suppeditat scriptura brevem quidem sed nervosam i. Joh. 3. 4. ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Peccatum est aberratio à lege videl. divina: sive est defectus conformitatis cum lege Dei.

X. Hoc ut melius elucescat sciendum in Adamo tria ante lapsum fuisse. 1. Substantiam ipsam animâ & corpore constantem. 2. Facultates & vires animæ & corporis; & 3. Imaginem DEI, quæ est virium & facultatum conformitas, sive congruentia cū lege & voluntate divinâ. Adamo verò peccante Peccatum fuit non defectus priorum duorum, sed defectus tertij.

XI. Quemadmodum enim in Musico Instrumento, non solum ipsum Instrumentum, Instrumentiq; sanus, verum etiam conventus & harmonia sonorum consideratur: sique peccator non ipsum Instrumentum vel tonum abesse sequitur; Sed tertium saltem harmoniam, cujus defectus *δυσμ.* Quarta dicitur: ita peccatum Adami neq; substantiæ neq; facultatum a-

vitium sive corporis defectus est & carentia; sed tertij solummodo conformitatis sive symphonie cum voluntate DEI lege manifestata.

XII. Atque hoc ipsum vult definitio Johannea unico *ἀνομία* vocabulo rem totam involvens. Constat enim illa particula privante *α* & vocula *νόμ*; atque ita *Materiale* & *Formale* peccati exactè describit.

XIII. Hoc antequam explicetur notandum, dupliciter Peccatum considerari posse. 1. *Absolute* quatenus in se & sua naturâ est vel mala inclinatio vel habitus vel actio. 2. *Relative* cum respectu ad poenam, quam mereri & ad quam obligare dicitur. Pro diversa hac acceptione aliud *Materiale*, aliud *formale* adipiscitur.

XIV. In priori significatione peccati *Materiale* est, locoque generis ponitur *Aberratio*, idq; privativa *α* indicat. *Formale* vero est, & loco differentie specificæ ponitur *Illegalitas* seu defectio & exorbitatio à Lege. Quæ tacitè insinuat *Immediatum consequens*, videlicet *Reatus* sive obligatio ad poenam ex ordinatione DEI comminantis per Moysen Deut. 27. 3. *Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis.*

XV. *Posteriore sensu* Peccati *Materiale* est ipsa *ἀνομία* defectus à lege sive pugnantia cum lege DEI. *Formale* verò *reatus* sive ordinatio ad poenam. Atque hujus reatus respectu Peccatum remitti dicitur. Manet enim vitium; cessat iudicium, cessat *ἕξιμος*; manet *ἀνομία*. Hinc patet quid velit Theologorum canon; *Formale peccati tollitur; Materiale remanet*: quomodoq; intelligendum illud: *Peccati geminum esse Formale.*

XVI. Johannes igitur peccatum absolute definiens *Reatus* seu poenæ expressam nullam facit mentionem, quæ tamen tanquam proprium consequens necessario sequitur.

XVII. Ex hætenus dictis patet 1. Omne id quod à lege DEI deficit & aberrat esse peccatum. Atq; ideò Pontificios peccare *in defectu*, dum solas actiones malas, non vero ipsas inclinationes vitiosas & defectus peccati nomine venire contendunt: Contrarium vero probant orthodoxi his rationibus.

XVIII. I. Quodcumque Lex DEI damnat illud est peccatum, sed Inclinationes pravas seu Concupiscentiam lex DEI damnat. E. sunt peccata. Minorem probant: quia nonum & decimum præceptum prohibent Non Concupisces. Imò tota lex damnat defectus, dum perfectam agnitionem & dilectionem DEI & proximi ab homine requirit.

XIX. 2. Quicquid scriptura expressè accusat ut peccatum, id pro eo habendum. Sed Concupiscentiam & defectus accusat ut peccatum. E. pro peccatis sunt habenda, Minor probatur ex Ps, 51, 7. Gen, 6, 6. Jer, 17, 9.

XX. 3.

XX. 3. Quicumq; moriuntur illi sunt peccatores. Sed infantes moriuntur. E. Habent peccatum propter quod Mors in ipsis regnat. Quod verò illud? Non actuale: quia *nesciunt quid sit inter dextram & sinistram*, Jon. 4. 11. Ergo cæcitas & aversio naturæ, quæ est ipse defectus seu inclinatio mala.

XXI. Sequitur secundo, illud quod non pugnat cum lege, utiq; nec peccatum esse. Declinant igitur Pontificii ad alterum extremum & in excessu peccant: dum pro peccatis habent, non tantum traditionum & legum à primipilis suis sancitarum transgressiones, sed & opera à Deo præcepta, qualia lectio & scrutatio scripturæ, conjugium: quæ frõte ipsi videant.

XXII. Atq; hæc ad definitionem Johannis breviter annotasse sufficiat: quæ quibus argumentis ut imperfecta & perfunctoria impugnetur, videatur apud Reverendum & Clarissimum virum Dn. D. Mellnerum in Anthropologia disp. 3. quæst. 1. membro 2.

CAPUT III.

Quæ sit causa Peccati.

THESIS.

I. Atrocitatem naturamq; Peccati hæcenus vidimus; quæ piè pensatâ non ineptè quæritur: Unde tanta corruptio naturam invaserit? Vel quæ sit *causa Efficiens* hujus mali? Sciendum igitur Peccatum proprie loquendò causâ Efficiente carere. Hinc Augustinus lib. 12. de civit. Dei. c. 7. *Nemo quærat Efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens.* Docendi tamen gratiâ causæ, quæ ad Efficientis naturam proxime accedunt, aliquot assignari possunt.

II. Cumq; Peccatum sit vel *Primum* sive Diaboli; vel *Ortum* sive *Homini*; notandum Primi *unicam* tantum esse causam *liberam* videlicet *malorum angelorum voluntatem*, Joh. 8. 44. *Diabolus loquitur mendacium ex propriis.*

III. *Peccati orti* sive *Homini* Cause efficientes aliæ sunt *Externe*, aliæ *Interna*.

IV. *Externarum* aliæ sunt causæ *per se*, aliæ *per accidens*. *Per se* duæ sunt, 1. *Satanas*, Joh. 8. 44. 1. Pet. 5. 8. 2. *Homines perversi*, idq; verbis vel exemplis, blanditijs vel minis. Sic Eva persuasit Adamo esum pomi vetiti, Gen. 3. Ubi tamen notandum, diabolum & homines non esse causam sufficientem peccati, nisi accedat consensus. Nullam enim vim ad peccandum inferunt neq; cogunt, sed tantum proponunt objecta, suadent, phantasiâ commovent, pravæsq; cogitationes suggerunt.

V. *Cause per Accidens* sunt triplices: 1. *Objecta in sensus incurrentia* quæ vel ad concupiscendum vel ad irascendum excitant & per sensus volunta-

sem movent, sic forma & suavitas pomi Evam ad peccandum pellexit.
Gen. 2, 6. 2. Lex Dei prohibens; quia Nitimur in veritum, & ubi non lex, ibi
nec transgressio, Rom. 3, 24. 3. Fomenta Peccatorum ut Otium, Mollities. 2.
Sam. 11, 2. Ezech. 16, 49.

VI. Causæ Peccatorum Internæ rursus sunt duplices: Quædam in
Adamo fuit ante lapsum, quædam in ipso & nobis simul existit post la-
plum. Causa in Adamo existens ante lapsum libera fuit ipsius Voluntas, nullis
enim pravis affectibus ignorantia, imbecillitate præditus fuit, atq; sic
potuit non peccare, si nolisset.

VII. Causæ Internæ Communes Adamo & nobis. Sunt 1. Concupiscentia seu i-
psa Naturæ corruptio Jac. 1, 14. Eph. 2, 3. 2. Consensus Voluntatis quo Pecca-
tum per concupiscentiam in nobis excitatū intus concipitur posteaq;
in lucem editur & in actum deducitur, Jacob 1, 15. 3. Ignorantia vel infir-
mitas qua voluntas decipitur 1. Tim. 1, v. 13. quæ Paulus *πρᾶξιματῶν ἀμαρ-
τιῶν* vocat Rom. 7, 5. 4. *Habitus* vel prava peccandi consuetudo. Et tandē
5. *Peccata actualia* causæ sunt aliorum peccatorum.

IX. Veris ita causis positus sequitur Deum non esse causam Peccati. Quod
olim Florinus quidam Montani discipulus teste Irenæo primus asseruit,
quodq; hodiè multi Calvinianorum partim aperte partim implicite
statuunt. Ratio est quia hoc expresse negat scriptura Psal. 55. *Os B. D.*
quia Deus odit, detestatur & prohibet peccatum, quia summe bonus om-
nia fecit valde bona. Hinc Fulgent. lib. 1. ad Monim. *Deus non est ejus
rei autor cuius est ultor.* Et August. lib. 83. quæst. *Deo autore nemo fit deterior.*

IX. Nec obstat quod Deus in scriptura dicitur *homines indurare exaccare,
tradere in sensum reprobum, facere errare.* Tribuuntur Deo non ratione *Effectio-
nis*; Sed 1. ratione *Desertionis* qua impios punit & propter antecedentē im-
pietatem gratia Spiritus S. privat. 2. ratione *Permissionis* qua Satanæ per-
mittit ut induret impios. 3. ratione *Ordinationis* ad finem bonum.

X. Nec à sententia nostra deducere nos potest: Quod Deus dicitur
facere malum, Amos 3, 6. *creare malum*, Es. 45, 6. Loquatur enim illa loca
de malo pœnæ, non verò de malo culpæ de quo hoc loco agitur. Plura de
causis Peccati videantur apud Chemnit. L. C. p. 1. loc. 5. Claris. Meisne-
rum disp. 3 Anthropol. p. 1. Eckhard. in fasc. controver. c. 10. & alios.

XI. Nos propter chartæ angustiam, telam abscindimus, pioque illo
Platonis effato concludimus lib. 2. de republ. p. 380. *Κακῶν δὲ αἰτίαν Φά-
σαι θεὸν τινὲ γίνεσθαι, ἀγαθῶν οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ χειρὸν παύλι τοῦ πῶ, μήτε
τινα ταῦτα λέγειν ἐν τῇ πόλει, μήτε ἕνα ἀκρίβει, μήτε
νεώτερον μήτε πρεσβύτερον.*

F I N I S.

Umg. VI 2 3

= [Dissertationes
theol. Vol. 59]


ULB Halle 3
002 386 852



Sl. 26


Folio
VD 77





Dijon
M...





B.I.G.

Farbkarte #13



592

29

RALIU M
 AMNORUM
 A PRIMUM,
 ATTO IN
 ERE,
 annuente,
 eramine
 LEISNERI
 D.&P.P.
 NSPECTORIS,
 bergensi Academia
 solitum
 à
 REICHARDO
 enfi Saxone.
 ndente
 IMONE Dresdensi.
 Novemb. horâ 1. pomerid. in
 orum Electoralium.
 S(:)S
 BERGÆ,
 S GORMANNI,
 M. DC. XIIIX.

